

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Classiques / Grammaire, 2021-2022, S2
Mercredi 9 février, 8h-12h (à rendre dans le casier au DSA)

Version latine n°5 sur table : malédictions d'un amant trahi

Le poète regrette de s'être laissé tromper par Marathus, son bien-aimé qui, séduit par de riches cadeaux, a accordé ses faveurs à un autre homme.

Tum miser interii, stulte confisus amari :

nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.

Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,

et me nunc nostri Pieridumque pudet ;

illa uelim rapida Volcanus carmina flamma

torreat et liquida deleat amnis aqua.

Tu procul hinc absis, cui formam uendere cura est

et pretium plena grande referre manu.

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,

rideat adsiduis uxor inulta dolis,

et cum furtiuo iuuenem lassauerit usu,

tecum interposita languida ueste cubet.

Semper sint externa tuo uestigia lecto,

et pateat cupidis semper aperta domus ;

nec lasciua soror dicatur plura bibisse

pocula uel plures emeruisse uiros.

Illam saepe ferunt conuiuia ducere baccho,

dum rota Luciferi prouocet orta diem ;

illa nulla queat melius consumere noctem

aut operum uarias disposuisse uices.

At tua perdidicit : nec tu, stultissime, sentis,

cum tibi non solita corpus ab arte mouet.

Tunc putas illam pro te disponere crines

aut tenues denso pectere dente comas ?

Ista ita persuadet facies, auroque lacertos

uinciat et Tyrio prodeat apta sinu ?

Non tibi, sed iuueni cuidam uult bella uideri,

deuoueat pro quo remque domumque tuam ;

nec facit hoc uitio, sed corpora foeda podagra
et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer : hunc ego credam
cum trucibus uenerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu uendere es ausus ?
tunc aliis demens oscula ferre mea ?
Tum flebis, cum me uinctum puer alter habebit
et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me poena iuuat, Venerique merenti
fixa notet casus aurea palma meos :
« Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
dedicat et grata sis, dea, mente rogat ».

Tibulle